



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

Titulus II. Parentes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

## P.

TITULUS I.  
PANIS.

**U**T comedat panem. Ex. 2. 20. Panis Hebraeis per Synecdochen quemvis cibum significat. Cornelius hic.

Auferet omne robur panis. II. 3. 1. Hebraei robur misan, id est, fulcrum, baculum, scipionem, vocant panem, cibum, & omne, quod hominem in vita sustentat. Hinc panis vocatur *virga*, vel *baculus*, Levit. 26. 26. Ezech. 4. 16., 5. 16., 14. 13. Cornelius hic.

Panem nostrum quotidianum. Luc. 11. 3. Hoc de duplici pane exponitur. 1. de pane Sacramentali, id est, de corpore, & Sanguine Christi, sicut ait Salvator. Joan. 6. 41. *ego sum panis vivus*. 2. de pane Spirituali, scilicet de

habitus, actibusque virtutum; de consolatione interna, de confortatione mentali, de divinorum sapore de pane poenitentiae. Pl. 79. 6. *cibabis nos pane lacrymarum*. His itaque cibis oremus quotidie ali divinitus; ne spiritus noster debilitetur, vitiisque succumbat. Dion. Carth. hic.

Panes manu S. Bernardi benedicti ad septem, novem, undecim, annos durarunt; nec colore, nec sapore, immutato. Ex vita ejusdem l. 4. c. 4.

S. Euthymius M. Abb. effecit, ut ex paucissimis plurimi panes fierent, quibus 400. viri refecti sunt. Nicephorus Callistus l. 14. c. 52. Bolland. 20. Jan.

TITULUS II.  
PARENTES.

## §. I.

## Honorandi.

**Q**ui timer Dominum, honorat parentes; & quasi dominis serviet his, qui se genuerunt. Eccl. 3. 8. Palacius: quasi diis serviet his: in ijs enim Deus representatur, Deique dominium resplendet. Cornelius hic.

Stabant juxta crucem Jesu mater ejus &c. Joan. 19. 25. Dominus in cruce pendens Matrem habuit a dextris, quam Joanni commendavit. Ita quicumque ascendit crucem praereligionis, vel Religionis; parentes debet habere a dextris: ut eos scilicet diligat ad bona aeterna; & gratiae Dei committat. Sed nota: quod Dominus, licet compateretur Matri, non tamen voluit de Cruce descendere: ita nos, qui ferimus Crucem Domini, propter parentes nostros non debemus ad carnalia declinare. Hugo Card. in Gen. 1. 19. Crucifixus Matrem suam Joanni commendat. Nota, quae mox addit Evangelista v. 28. *postea sciens Jesus, quia omnia consummata sunt - & inclinatus capite tradidit spiritum*. Luc. 23. *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*. Joannes ait, ubi Matrem commendavit Joanni, tunc omnia consummasse, & inclinatus capite tradidisse spiritum. v. 30. quia piam Matris curam ostendit in Cruce, omnia consummata sunt; & nihil ei superest, nisi in Patris manus spiritum tradere. Nam ita Deo grata est erga parentes pietas; ut illam exercens omnia consummasse videatur; & possit sperare

*Polyanth. Sacra, Tom. II,*

confidenter, in aeterni Patris manus spiritura traditurum. S. Ambros. l. 10. ep. ep. 79. hoc testamentum Filij est, de Matris integritate: haec Mariae locuples integri pudoris hereditas, hic totius finis pietatis. Denique hoc dixit, & emisit spiritum: consummans omne mysterium bono sine pietatis. Castillo in c. 28. Ex. II. lat. 5.

Ne vultu quidem laedenda est pietas parentum. Pasce patrem tuum, pasce Matrem tuam. Etsi paveris matrem, adhuc non reddidisti dolores, non reddidisti cruciatus, quos pro te passa est: non reddidisti obsequia, quibus te illa gestavit; non reddidisti alimenta, quae tribuit tenero pietatis affectu, immulgens labris tuis ubera: non reddidisti famem, quam pro te illa roleravit; ne quid, quod tibi noxium esset, ederet; ne quid, quod lacu noceret, hauriret: Tibi illa jejunavit, tibi manducavit; tibi illa, quem noluit, cibum non accepit; tibi, quem voluit, cibum sumpsit. Tibi vigilavit, tibi flevit: & tu illam egere patieris? O fili! quantum tibi sumes iudicium? si non pascas parentem. S. Ambros. in Luc. 18. Vide tit. Filij §. 5. & 6.

## §. II.

## Parentibus praefendus Deus, praecpta &amp;c.

**Q**ui dixit patri suo, & matri suae, nescio vos &c. - hi custodierunt eloquium tuum &c. Deut. 33. 9. Magis, & primo, dicitur hic de patre, & matre; quam de fratribus, & filiis: quod illos in caede illa idololatrarum

M m

non

non respexerint Levitæ, nec miserti sint eorum. Unde videntur sine discrimine omnes noxios, etiam patrem, occidisse. Cornelius hic.

*Permitte me primum ire &c.* Matth. 8. 21. Audite, quid discipulus dixerit, permittite me *primum*. Hoc *primum* ei esse non debuit, sed secundum. Terrenus pater cœlesti postponendus est Patri. Pinna in Eccl. Ethol. 148. Quidam dicunt hoc non intelligendum, quasi pater hujus discipuli jam defunctus esset, & ipse eum sepelire vellet; quia hoc ei negatum non esset, cum sit opus pietatis; sed quia tenebatur carnali amore parentum, cum quibus usque ad mortem eorum voluit permanere, eisque sepultis Christo adherere. Sed Christus ei id negavit, ob periculum moræ: non quia sepelitiõ mala; sed quia majoris boni impeditiva. Dicit enim Ambrosius: docet Christus, minora bona pro utilitate esse prætermittenda. Majus est enim animas mortuas prædicando suscitare; quam corpus mortui in terra abscondere. Dionys. Carthuf. in Matth. 8. 21. Non erat hujus pater in infirmitate, ut moriturus in proximo videretur; sed fortassis in senectute: expectare melius ratus, quam si Christum sequeretur; ignarus adhuc, quod pietas pro pietate dimitienda esset. Ad plenum peroptimè pius est, qui divinum præfert imperium, etiam omni obsecundatione denegatã parentibus. Præferatur hominibus Deus, Creator creaturæ, parientibus ad mortem vitæ largitor, nutritoribus Redemptor, viventibus cunctis in hac vita mortali: qui, ut omnibus vita beata daretur, immortalis se donavit in mortem. Sim. Cas. l. 9. c. 16.

*Dimitte mortuos sepelire mortuos.* Matth. 8. 22. Nunquid sic Christus negat ultimum pietatis obsequium? vetat extremum munus parentibus quod debetur? Non pietatis obsequium negat; sed divinam præponit humanis affectibus servitutem. S. Chrysol. l. 19.

*Non veni pacem mittere, sed gladium: vent enim separare &c.* Matth. 10. 34. 35. Per amplius iustitia Christiana progreditur; ut etiam inter patrem, & filium posuerit odium, atque *gladium*, ut ipse Salvator dixit. Luc. 14. 26. *qui non odit patrem, & matrem, non potest meus esse discipulus.* Odium igitur Christianæ iustitiæ, non personæ sive naturæ; sed iniquitati debetur, & impedimento virtutis, quod consueverunt præstare parentes. Id. l. 15. de iustit. Christ. c. 3. Gladius instrumentum iustitiæ est, non sœvitia, ut observavit S. Hilarius. Suum unicuique jus dividit hic gladius: magnum parentibus amorem, sed majorem Deo. Mendoza in 1. Reg. 1. annot. 8. hic.

*Quæ est mater mea? &c.* Marci 3. 33. Ist hæc non depromit, quod matrem ullã prorsus ratione aspernetur, aut fratres contemnat; absit hoc: verum quò planum faciat, familiarem animæ cum Deo conjunctionem quavis carnis cognatione potiorem se ducere. Victor Antioch. hic.

*Pater tuus, & ego &c.* Luc. 2. 48. Duo Patres in tali colloquio sonuerunt, unde quo-

dammodo locutiõ materna confunditur. Dixerat Virgo Patrem, quem habebat socium sponsum. Respondit Christus, se Patrem habere æternum, cujus volita in carne venerat perficere super terram. Illa hominem, iste Deum; illa mortalem, iste protulit immortalem. *Nescitis, quod in his &c.* Non veretur Christus dolores ex carne maternos, sive paternos; sed Dei Patris obedientiam plus attendit: præferendus est Deus proprijs parentibus quantumcunque illustribus, vel honestis. Et hic Christus pietatem pro pietate condemnat, & reprobatur; & divinis actionibus postponit humanas; & divinum omninò humano præposuit. Humanum est, tristitiam non inferre parentibus; & ipsos consolari, opus est pietatis. Et honorem ipsis impendere, debitum est iustitiæ, justioque Legis. Ubi verò Deus aliud inducit, ab omnibus his absolvit. Proinde ex hujuscemodi Christi verbis decretum firmum accepimus: ut, cum Deum aliquid velle novimus, cætera omitamus: neque tristitiæ, neque lacrymæ, neque singultus, aut ululatus, dejectiones, aut assumptiones, quorumcunque charorum, ad id agendum impediunt. Sim. Cas. l. 9. c. 2.

*Sine ut mortui sepeliant mortuos suos.* Luc. 9. 60. Cum religiosum humanum accepimus officium, quemadmodum hic paterni quoque funeri sepultura prohibetur? nisi ut intelligas; humana posthabenda divinis. Bonum studium; sed majus impedimentum: nam, qui partitur studium, derivat affectum; qui dividit curam, differt profectum. Ergo prius obeunda, quæ maxima sunt. S. Ambros. lib. 7. in Luc. hic.

*Si quis venit ad me, & non odit patrem &c.* Luc. 14. 26. Domini oratio nihil à nobis aliud exigit, quam ut eos aversemur, qui fidem nostram in Deum impedit; aut ab ijs rebus avertere nos student, quæ ad animæ salutem sunt necessaria: tum ne eò unquam nos abduci sinamus, ut propter quemcunque carnalem amorem, eam dilectionem negligamus, aut contemnamus, quam debemus Christo. S. Titus Bostr. in Luc. hic.

*Quid mihi, & tibi est, mulier? Joan. 2. 4.* Ut quid sic responderat? utique propter nos: ut conversos ad Dominum jam non sollicitet carnalium cura parentum. S. Bernardus l. 2. D. 1. post oct. Epiph.

Quid facis in paterna domo delicate miles? ubi vallum? ubi fossa? ubi hyems acta sub pellicibus? Ecce de cœlo tuba canit; ecce cum nubibus debellaturus orbem Imperator armatus egreditur; ecce bis acutus gladius, ex regis ore procedens, obvia quæque metit. Et tu mihi de cubiculo ad aciem; tu de umbra egredieris ad solem. Corpus assuetum tunicis loricae onus non fert; caput opertum linteò galeam recusat; mollem otio manum durus exasperat capulus. Audi edictum Regis tui. Matth. 12. 30. *qui non est mecum, contra me est; & qui non congregat mecum spargit.* Recordare tyrocinij tui diem, quo Christo in Baptismate conspulsus in Sacramenti verba jurasti; pro nomine ejus non te patri paritum esse,

esse, non matri. Ecce adversarius in pectore tuo Christum conatur occidere: ecce donativum, quod militaturus acceperas, hostilia castra suspirant. Licet parvulus ex collo pendeat nepos; licet sparsò crine, & scissis vestibus, ubera, quibus te nutrierat, mater ostendat; licet in limine pater jaceat; per calcatum perge patrem, sicis oculis ad vexillum crucis evola. Solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem. Veniet, veniet postea dies illa, quò victor reverteris ad patriam; quò per Jerosolymam cœlestem vir fortis coronatus incedas. S. Hieron. ep. 1. ad Heliodorum.

Et Joannes B. sanctam matrem habuit, Pontificisque filius erat: & tamen nec matris affectu, nec patris opibus, vincebatur; ut in domo parentum cum periculo viveret castitatis. Vivebat in eremo, & oculis desiderantibus Christum nihil aliud dignabatur aspicere. Id. ep. 4. Rustico Monacho vivendi fomam præscribens.

Honora patrem tuum; sed si te à vero Patre non separat. Tamdiu scito sanguinis copulam, quamdiu ille suum noverit Creatorem. Alioquin David protinus tibi canit Ps. 44. 11. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum &c.* Grande præmium parentis oblii: *concupisset Rex decorem tuum, & dicit tibi: tota pulchra es amica mea &c.* Cant. 4. 7. Id. ep. 10. ad Furiam de viduit. servanda.

Cum aliquid eorum; quæ Deo probantur, effimus; quicumque id prohibuerit, sive pater, sive mater, sive quisvis; is inimicus, & hostis esto. S. Chrysostr. lib. de Virginit.

Utilius est, parentes mœrore afficere, quàm Deum. Joan. Clim. gradu 3. de peregrinat. & somnijs.

Impius est, qui animæ suæ pro suis parentibus est crudelis: majoremque temeritatem hac nemo habet, quàm ut animam suam ponat ita periculosè quis pro amicis suis. Petrus Blefens. ep. 11. ad Clericum, ingressum Religionis amore amicorum retardantem.

## §. III.

## Parentum amor in Liberos.

## Num. 1.

## Sit equalis.

*Isaac amabat Esau.* Gen. 25. 28. & *Rebecca diligebat Jacob.* S. Ambros. l. 2. de Jacob c. 2. Accipite bonum certamen inter parentes: mater deferat affectum, pater judicium: mater circa juniorem tenerà pietate proterdat; pater circa seniore naturam honorificentia servet. Hic magis honoret, illa plus diligat; dum singuli singulos foveant, non in unum uterque conspiret. apud Bæza t. 1. l. 3. §. 3.

*Quare negligitis?* Gen. 42. 1. Quæres: quâ ratione Joseph tam diu incognitus mansit in Ægypto, putà 23. annis, ita ut de se nihil *Polyanthea Sacra. Tom. II.*

unquam nuntiârit patri adeò propter se mœrenti? cur hoc ita fieri, & celari, voluit Deus? R. quia Deus hoc quasi purgatorium mœroris voluit dari Jacobo, licet iusto, ob levitiam ejus quædam peccata: tum quia nimis, & cum invidia fratrum, amaverat Josephum. Solet enim Deus nimios Sanctorum circa rem aliquam, vel personam, amores hœc modò per adversa, quasi vinum injectâ aquâ temperare. Ità S. August. l. 82. de temp. Cornelius hic. Amare liberos, dulce; & impenitus amare, prædulcius. Sed frequenter ipse amor patrius, nisi moderationem servet, nocet liberis: si aut nimia indulgentia dilectum resolvat; aut prælatio unius cæteros ab affectu germanitatis ayertat. Plus acquiritur filio, cui fratrum amor acquiritur: hæc præclarior munificentia patrum, hæc ditior hæreditas filiorum. Jungat filios æqualis amor, quos junxit æqualis natura. S. Ambros. lib. de Joseph. c. 2. apud Alvarez Illustr. 30. in Gen. 37.

*Filij tui sicut novella olivarum in circuitu mensæ tuæ.* Ps. 127. 3. Pater quasi centrum domus suæ; à centro lineæ ducuntur æquales ad circumferentiam. Non est unus in Angulo-Beata domus, in qua servatur æquitas. Mox addit: *ecce sic benedicetur homo.* Hugo: non solum benedicet tibi Dominus de terra, temporalia bona tribuens; sed etiam benedicet ex monte sancto suo, & altissimo tabernaculo suo, ut videas bona Jerusalem. Alvarez in Gen. 37. Illustr. 30.

*Dic, ut sedeant hi duo filij mei &c.* Matth. 20. 21. Quare pia mater filio magis dilecto non petis? prudenter egit honorem illum non in particulari, sed in communi petens, Imitentur eam parentes, nè filium unum præ altero diligant; nec in re familiari alij alijs proponantur; nisi gravis adsit causa: nam alioquin magnæ oriuntur discordiæ. Diez, conc. 1. in festo S. Jacobi.

## Num. 2.

## Non plus quàm Deum, &amp; se.

*Cumque alligasset Isaac filium suum &c.* Gen. 22. 9. Ostendit Abraham, charissimum quidem sibi esse filium; sed multo chariorem filio existere Dominum; totos affectus convertit in Deum; cui jam se noverat mancipatum. S. Chrysostr. in Gen. l. de fide Abrah. Quòvis igne vehementiorem excitavit charitatem; acutioremque gladiò amorem reddidit: nam in ipso vincula præscidit natura. S. Ephrem. in Abrah. & Isaac. O spectaculum formidandum! amor in prolem, Dei que dilectio, judicij contendunt; & judex ensifer instat Abrahamus, ac ense jus dicit; victoriamque Dei dilectioni tribuit; consignat sanguine, testemque victoriæ sacrificium facit. S. Basilus Seleuc. or. 7. de Abrah. Tentavit Deus Abraham, præcipiens, ut immolaret filium suum; ut in exemplum alijs innotesceret obedientia ejus: ut omnes parentes discant, quantum præponenda sit

obedientia Dei filiorum dilectioni. S. Bernardus s. de sacrificio Abrahae.

*In me sit ista maledictio.* Gen. 27. 13. Itaque aliqui parentes, licet non verbis, attamen operibus idem faciunt: nam illicitae negationes, & inventiones malae, quibus filijs suis altas fedes obtineant, idem est, ac si dicerent: filius meus Canonicatum obtineat, ego in Infernum abeam. Diez conc. 1. in festo S. Jacobi.

Si homuncio uxori suae potuit dicere: *nunquid non ego melior tibi sum, quam decem filij?* 1. Reg. 1. 8. Et de filio Tobia mater Anna. Tob. 10. 5. *omnia simul in te uno habentes, te non debuimus dimittere.* Nunquid verius creator tuus dicit tibi: non melior tibi sum, quam decem, & mille, non modo filij, sed patres, matres, fratres, sorores, amici, Duces, Episcopi, Magistri, nutritij, sponji? Nunquid & tu cum S. Francisco exclames: Deus meus, & omnia! Deultreman de amore l. 3. c. 3. sect. 4.

*Qui amat filium, aut filiam, super me, non est me dignus &c.* Matth. 10. 37. Non immittit odium ad proximum, ubi alias praecipit diligere inimicum; nec condemnat jura naturae creatae, quam ex amore creavit, quam legibus ad invicem stringit amoris; sed duos amores constituens, hominis, & Dei; amorem Dei creantis, gubernantis, redimentis, & beatificantis; amori hominum voluit praevallere: ut unus non extinguatur ab altero; nec alter impediatur ex altero; sed alter alteri praefertur, alter alteri subjiciatur: ut, servata lege justitiae, qui per omnia est praestantior, in omnibus ex amore sit potior omnibus creatis, quocumque jure diligendis. Sim. Cas. l. 8. c. 21. Perspicuum est, quod non damnet amorem; sed ipso non vult in amore esse posterior, sed praefertur. Ordo quidem est naturalis, & originalis justitiae; ut potiora magis, minora minus diligantur. Ac per hoc non est dignus Deo, qui quocumque conjunctos sibi diligendo praefert. Non tollitur charorum amor, sed ordinatur. Et amoris ordinem habere a sponso suo se fateatur Ecclesia Cant. 2. 4. *ordinavit in me charitatem:* scilicet, ut non diligenda non diligerentur; ut amarentur amanda; minora minus, majoraque magis. Nec vita propria dilectioni Dei praeferranda est. Sim. Cas. l. 9. c. 24. *Qui amat &c.* quia bonum creatum caducum, finitum, praefert bono divino, incommutabili, atque immenso. Ordo namque charitatis efflagitat; ut Deus summè, & incomparabiliter, ac sine mensura, diligatur toto corde. Deinde propria anima, deinde proximus, deinde proprium corpus. Inter proximos verò maximè diligendi sunt parentes; nec propter alicujus rei creatae favorem, amorem, sive intuitum, recedendum est ab amore, & cultu divino. Dion. Carthus. in Matth. 10.

Quid est ergo, aut quomodo amandos dicimus filios? quod? absque dubio, nisi quod Deus ipse constituit. Neque enim est ullus melior filiorum amor, quam quem ille do-

cuit, qui ipsos filios dedit. Neque possunt pignora melius amari, quam si in eoipso, à quo data sunt, amentur. Quomodo ergo Deus filios amari iusserit, non dico ego: dicat sermo ipse divinus, qui ad patres omnes generaliter ita loquitur, ut tradant mandata Dei filijs suis, Ps. 77. 7. *ut ponant in Deo spem suam &c.* Salvianus l. 3. ad Eccl. Cathol.

Amate; itaque non obislimus, amate filios vestros; sed camen secundò à vobis gradu. Itaque illos diligite, nè eosipfos odisse videamini. Inconsultus namque, & stultus, amor; & alterius memor, & sui immemor. Id. l. 3.

O miserum parentum gaudium de bono perfunctorio filiorum! ò nefanda parentum amentia, qui saepe proprijs natis causa perditionis existunt; & saepe simul cum filijs traduntur gehennalibus flammis. O parentes! nolite pro filijs animas ponere; vos obligare ad aeternitatem poenarum pro temporali gloria filiorum. Sim. Cas. de justit. Christ. l. 15. c. 2.

Inordinatus parentum amor efficit; ut sic filijs terrena provideant, ut ipsi amittant aeterna. Cum matri Neronis diceretur: si filius tuus imperaverit, occidet te; respondit: occidat; dum imperet. Joan. Osor. f. 4. D. 2. Quadr.

Num. 3.

#### Parentum major amor in filios, quam filium erga eos.

*Quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te!* 2. Reg. 18. 33. Nunquid hoc dixit de Jonatha amico suo? de parricida dicidebuit, quia mors peccatorum pessima. Pium erat, mori pro impio, ut esset, quem poeniteret; esset, cui miseretur Deus, nè in aeternum periret. Aelredus spec. char. l. 1. c. 34. apud Escobar t. 1. Mir Chr. l. 10. sect. 2. obl. 2.

Multa habemus exempla parentum, qui ad Christum supplices veniunt pro filijs; nullum verò, in quo filij pro parentibus. Joan. 4. 46. Regulus pro filio. Matth. 15. & Chananaea pro filia. Matth. 20. 20. Mater Zebedaei pro filijs. Luc. 9. 38. filius daemonicus. Hinc colligitur, longè majorem esse in proles, quam harum in illos: imò magis multi afficiuntur hereditati, quam patri, & pietati. Non legitur speciale praecipuum à Deo datum parentibus, ut filios diligant: quia hoc abundè maximè in temporalibus, facturi. Marchantius D. 23. Pent.

Num. 4.

#### Parentum in filios amor bonus, & moderatus.

*Et nunc rex graditur ante vos.* 1. Reg. 12. 2. Samuel Moysem imitatus, non constituit filios suos muneris, ac principatus sui haeredes, quando sciebat patriae disciplinae, & Legis observantiae exhaeredes; sed eos totius populi censurae judicandos, puniendosque commisit. Unde D. Hieronymus l. 1. c. 1.

con-

Ontra Jovin, eos, qui filiorum suorum nimio dantur affectu, reprehendit: cum legamus, inquit, Moysem, & Samuelem, filijs suis alios proutulisse; nec putasse liberos, quos videbant Domino displicere. Mendoza in 1. Reg. 1. annot. 7. sect. 1. amoris æqualitatis.

In nos ita se gerit Dominus, ut nos in nostros filios. *Filij tibi sunt; erudi, & curva illos*, suadet Ecclesiast. 7. 25. atqui filios nostros, & filias, valde, & supra quodcunque, amamus. Clem. Alex. t. 1. Padag. c. 9.

Num. 5.

#### Parentum amor malus in filios.

*Acerbò luctu dolens pater citò sibi rapti filij fecit imaginem.* Sap. 14. 15. Probat, idola esse nuperum hominis inventum, ex eo, quòd illa adinventata sint à parentibus, ad leniendum dolorem conceptum ex prapropèra morte filiorum, vel charorum: quòd scilicet, ut eorum memoriam sibi saltem ad aliquale solatium conservarent, fecerint eorum imagines, easque veluti idola cum suis coluerint. Amor enim parentum in filios est cæcus, & amens. Cornelius hic.

O sævi parentes in filios! ô qui eos genuistis in hanc miseriam; & vestra incuria, vestraque malitia, illos disponit ad gehennam! O perversa dilectio! quæ filium temporaliter diligit, & in æternum odit. O perverfus parentum affectus, qui taliter beat filios, & Dei facit inimicos. Sim. Cals. de Inst. Chr. l. 15. c. 2.

§. IV.

#### Parentum imprecatio efficax.

*Irregijs.* Gen. 27. 34. Cur Esau tam avidè, & instantè, petijt benedictionem? R. quia longò usu didicerant illò tempore homines, patris benedictionem, vel maledictionem, plurimum valere. Eccli. 3. 11. *benedictio patris firmat domos filiorum* &c. Ità Sem, & Japhet, benedicti à Noe. Gen. 9. 26. idipsum à Deo consecuti sunt. Ità Jacobi benedictio data Ephraim, & Manasse Gen. 48. 20. Et alia data duodecim filijs. Gen. 49. Moysis data duodecim tribubus. Deut. 33. 1. fuit efficax, & reipsa completa. Ità benedictio Tobia datà filio c. 5. 21. Ità Mathathia patris benedictione Machabæi fortes, & invicti, evasere in bello. 1. Mach. 2. 69. &c. E contra Cham à patre Noe maledictus Gen. 9. 25. talis in omni sua Chanæorum posteritate evasit. Sic & Ruben à Jacobo maledictus; Levi quoque & Simeon. Gen. 49. 4. S. August. l. 22. Civit. c. 8. de prolibus decem à matre maledictis; qui mox horribili membrorum tremore percussi sunt, ideoque totò pene orbe Romano vagabantur. S. Ambros. l. 2. de Jacob. c. 3. bonus pater, cum duos haberet filios, unum intemperantem, sobrium alterum; quò utriusque consuleret, intemperanti præfecit sobrium, & insipientem prudenti statuit obedire; ut regentis imperiò suum melioraret affectum. Gen. 27. 40. Cornelius in Gen. 27. 34.

*Fuit hæreditas eorum in medio possessio-*

*nis filiorum Juda.* Jos. 19. 2. Quarunt Interpretes, cur Simeonis tribus, præ alijs, quasi emendicatò vixerit? inter alienos limites collocata? ajuntque, hoc fuisse ob maledictum patrum. Gen. 49. 7. *dividam eos in Jacob, & dispergam eos in Israel.* Naxera in Jos. 19. §. 9. parentum maledictum miserum saepe in filijs sortitur effectum.

*Et interrogavit patrem ejus: quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit? at ille ait: ab infantia.* Marci. 9. 20. Requirit non utnescius, sed ut prodat causam, ad parentum doctrinam. Quarunt Patres: quomodo dæmoni licuerit divexare innocentiam? Causam dat S. Chrysol. l. 51. patrem scilicet dæmonibus filium obtulisse: interrogatione tali, inquit, tempus aperit, ætatem pandit, revolvit infantiam; ut tanti mali causa non tangat sobolem, sed parentem: quia à Deo sibi datum pignus ad diaboli gratiam, dæmonum retulit ad honorem-repletur dæmone parvuli, quando à parentibus suis offeruntur diabolo. Naxera in Jos. 19. §. 9.

Venerunt aliquando ad S. Parthenium parentes adductò filio, qui graviter à dæmone vexabatur; rogantes, ut filium illò liberarent. S. Parthenius respondit: sinite, torqueatur: vobis saepe molestus fuit; & quam eidem optastis, justam sustinet pœnam. Metaphrast. 7. Febr. Pater filia quinquenni, quam deprehenderat lac comedentem, in ira imprecatus est; ut unà cum lacte dæmonem voraret: cum dicto diabolus involavit in puellam, quam usque ad maturam ætatem miserè cruciavit. Cæsar. l. 5. c. 26. apud Stengelium t. 2. div. jud. c. 59.

§. V.

#### Parentum mala exempla sequuntur filij.

#### Ex Veteri.

*Descendit Dominus, ut videret civitatem, & turrim, quam edificabant filij Adam.* Gen. 11. 5. ut enim hic in terris esse voluit, sic & nepotes cælum petebant. Quæris: cur in Sodomis & parvuli perierunt? Gen. 19. 25. Albinus q. 182. nonne prævisum est illis, nè diutius viventes patrum exempla sequerentur? Velloso in Judith 7. Paren. 34.

*Ejice ancillam hanc, & filium ejus.* Gen. 21. 10. quia crimen filij tribuebat matri. Mendoza in 1. Reg. 1. 1. annot. 4. sect. 3. mala filiorum parentibus imputantur.

*Non accipies uxorem filio meo de filiabus Chanæorum.* Gen. 24. 37. Multæ circum erant nationes, ex quibus sponsam posset deligere servus pro Isaac; alijs verò omissis, cavet, nè ex Chanæis accipiat, qui originem ducebant à Chanaan nepote Noe, qui ab avo maledictus. Gen. 9. 25. ne scilicet filius avitos mores inducat, & in filium, ac nepotes, malum grassetur. Qui enim à malo patre malè fuerunt educati, impietatem tam firmiter hauserant; ut vix eam possent excutere. Ità Ambros. l. 1. de Abrah. c. ult. constrinxit autem

M m 3 eum,

cum, ut non de femine Chanaanorum uxorem accerferet Domino suo, quorum generis author patrem non honoravit: & ideo maledictionis hæreditatem transmittit in suos. Pinna in Eccl. 7. Ethol. 65.

*Rachel furata est idola patris sui.* Gen. 31. 19. Cum multa essent in divite domo, quæ Rachel rapere posset; nihil aliud abstulit, quam paterna idola: quia filij paternas imagines, & idola, secum portant; licet longius discedant; id est, paternos mores imitantur, eadem idola venerantur. Id. in Eccl. 3. Ethol. 34.

*Adoptavit in locum filij vocavitq; nomen ejus Moyses, dicens: quia de aqua ruli eum.* Ex. 2. 10. S. August. in Catena. novum miraculum! genus fecit misericordie filia paricida. Miraculi instar est, patris mores ad posteros non transmitti. Pharaonis in pueros Israelitarum crudelis filia benigna. Naxera in Jos. 1. §. 21.

*Vinum, & omne, quod inebriare potest, non bibetis tu, & filij tui.* Levit. 10. 9. Nam vix perficient mandatum filij, si prius pater exemplò suo eos non efformet. Pinna in Eccl. 11. Ethol. 192.

*Factum est grande miraculum, ut, Core percunte, filij ejus non perierint.* Num. 26. 10. 11. Cajetanus in eo miraculum ponit, quòd, patre peccante, & luente, filij non peccaverint, necluerint. Mendoza in 1. Reg. 1. annot. 4. sect. 3.

*Cave, ne bibas vinum-quia paries filium.* Judic. 13. 4. 5. quia filius Nazareus abstinebit a vino; mater jubetur abstinere. Lex Nazareorum matri indicitur; non quia Nazarea ipsa, sed quia Nazareum paritura est. Escobar t. 1. Mir. Chr. l. 3. sect. 7. Obs. 7.

*Quare calce abjecistis victimam meam?* 1. Reg. 2. 29. Patrem alloquitur, qui in hoc non peccaverat, & tamen per pluralem loquitur: quia filiorum crimina etiam patris innocentiam maculant. Pinna in Eccl. 3. Ethol. 34.

*Egressa Michol filia Saul &c.* 2. Reg. 6. 20. Quando Michol Davidem coram arca Domini saltantem reprehendit, dicta non est uxor Davidis, sed *filia Saulis*: ut, interprete Rabano, illam superbiam à patre suo traxisse significaretur. Mendoza in 1. Reg. 1. annot. 10. sect. 4. Educatio filiorum. Eadem Michol superba criminationis poenas dedit sterilitate damnata, ut eodem cap. v. 23. habetur. Cur hac potius, quam alia poena, punita? Respondet Ambros. ep. 36. illa, quæ saltationem hujusmodi reprehendit, sterilitate damnata, non dedit sobolem regiam; nè superbos crearet. Quasi non possint filij illam matris superbiam non imitari. Id. Mendoza ib.

*Ascende caive.* 4. Reg. 2. 23. S. Justinus M. lib. ad orthodoxos: cum ea verba pueri à parentibus suis, qui semper in prophetam infestò animò erant, didicissent; idcirco

Elifaus eade liberorum parentes castigavit, apud Paoletti D. 20. Pent.

*Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Pl. 68. 10. Sunt verba Christi ad Patrem. q. d. ille idem populus, qui in te opprobria jecit; ille idem jacit in me: filij patrum mores imbibebunt. Pinna in Eccl. 2. Ethol. 34.

*Sub arbore malo suscitavi te &c.* Cant. 8. 5. Sed quasi lapsus Virginis excusans addit, matrem fuisse lapsus ducem: *ibi corrupta est mater tua.* Velloso in Judith 7. Patren. 34.

*Fili mi, miserere mei.* 2. Machab. 7. 27. Cur non potius dixit puero, tui miserere? an non potius pueri causa agebatur, quam matris? an non puer vel pendens erat, vel munerandus, & non mater? Quia obligata erat puerum monere, instruere; luitura alias ipsa, quidquid puer deliquisset. Baeza t. 2. l. 7. c. 4. §. 7.

### Ex Novo, & alijs.

*Progenies viperarum, quis demonstravit vobis sugere à ventura ira?* Matth. 3. 7. Pungitne, an laudat, hos homines? laudat; sed miraculum reputat, quòd filij à parentibus improbis desciscant in salutem. Cajetanus: ratio admirationis est, quòd vos, qui à patribus, veluti naturali propagatione, infecti estis, acquieveritis demonstratori viæ rectæ. Velloso in Judith. 7. Patren. 34.

*Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui?* Matth. 12. 34. S. Chrysost. hom. 34. in Matth. non mirandum, si malè loquimini: quia cum à malis parentibus malè educati sitis, mentem quoque malam possidetis. apud Pinna in Eccl. 11. Ethol. 162.

*Accessit ad Jesum mater filiorum Zebedæi.* Matth. 20. 20. Dominus non petenti matri, sed filijs respondet: *nescitis &c.* Taxatis filijs mater reprehenditur: quia filij actiones solent parentibus tribui. Escobar t. 5. Proph. Chr. l. 5. sect. 2. obs. 1.

*Cum saltasset, & placuisset Herodi.* Marci 6. 22. Placuit saltibus immodestis puella; quia agnovit filiam. S. Chrysost. l. 124. respondit suo turpis generi, dum patri complacere turpiori: de adulterio namque non nisi turpis debuit procreari. Et revera suam tunc credidit Herodes; cum talem vidit: nam putasset alienam, si pudicam vel aliquantulum pervidisset. Naxera in Jos. 1. §. 21.

*Murmurabant ergo Judæi.* Joan. 6. 41. Quomodo non murmurarent, quorum parentes fuerunt murmuratores. Ex. 17. 3. & Pl. 105. 25. *murmuraverunt in tabernaculis suis.* S. Cyrill. Alex. l. 4. in Joan. c. 3. quasi paternam hæreditatem murmuracionem de rebus bonis ad Judæos descendisse comperio. Baeza t. 3. l. 14. c. 10. §. 16.

*Vos semper Spiritui S. resistitis; sicut & patres vestri; ita & vos.* Act. 7. 51. Acti eorum malicia obstinens Spiritui S. & divinis mandatis, à patribus cum natura esset deducta longò tramite:

ita ut jam radicata, & congenita esset eorum pravitas. Sylveira addit. in Matth. 23. 27.

Pene omnes parentibus suis filij, non magis in patrimonia, quam in vitia succedunt: nec magis facultates paternas sumunt, quam pravitates. Et sic transeunt semper in mores patrum, antè incipiunt eorum nequitiam, quam substantiam, possidere. Et est ratio, cur hoc fit: bona enim parentum, non nisi mortuis eis, possident; viventibus adhuc, & valentibus, mores. Salvianus l. 1. ad Eccl. Cath.

Fumus ex camino. Lem: *Clavis majoribus ortus degener.* Picinelli.

## §. VI.

## Parentum bona sequuntur filij.

*Asportate ossa mea vobiscum de loco isto.* Gen. 50. 24. S. Chrysof. hom. 63. in Gen. vide, quomodo & ille eadem, quæ & pater, curet; volens ut simul auferantur inde ossa. q. d. familia mandantem audiverat patrem. Gen. 49. 29. *Sepelite me cum Patribus meis.* Pinna in Eccl. 9. 10. Ethol. 112.

*Parabole Salomonis filij David.* Prov. 1. 1. *Verba Ecclesiaste filij David.* Eccl. 1. 1. Commendat sapientiam suam à patre; de quo 2. Reg. 23. 8. *sedens in cathedra sapientissimus.* Basilius hic: ut planè cognosceretur, quemadmodum sapiens erat Salomon ex sapiente patre. Velloso in Judith 5. Paræn. 8.

Præunte Eleazarò ad martyrium, septem ejus filij parentes vestigijs alacres infliterunt. 2. Mach. 7. 1.

*Erant justi ambo ante Deum.* Luc. 1. 6. Priusquam Luc. 1. 15. Joannem laudet: *erit magnus coram Domino*, parentes fusè laudat v. 5. 6. S. Paulinus ep. 10.

Laudaturus vitam, genus antè laudavit; ut venerabilior existeret, qui sanctis parentibus responderet sanctitate ingenitè. Velloso ib.

S. Ambros. hic: quæ alia intentio S. Evangelistæ, nisi ut S. Joannes B. nobilitetur parentibus. apud Castillo in Ex. c. 28. Illat. 4.

Seipsam quidem, dum vixit, omnis virtutis exemplar liberis suis proposuit. S. Gregor. Naz. or. 25. in laudem fororis suæ Gorgonia.

## §. VII.

## Parentum educatio bona, &amp; cura prolium.

## Ex Veteri.

*Videntes filij Dei &c.* Gen. 6. 2. Filij Dei hic vocantur filij Seth, ob sanctitatem. Ità Chrysof. Cyrill., Rupert., Hilarius, Theodoretus addit: Seth à pietate, & sapientia, Deum esse dictum; hinc ejus filios vocari filios Dei, Cornelius hic.

*Quod in senectute genuisset eum.* Gen. 37. 3. Præter hanc amoris causam fuit & alia, eaque præcipua, scilicet vitæ, morumque, innocentia in Josepho. Ad hanc porò non parum adjuvit tenilis tum ætas, tum amor Patris: senes enim, quia frigidi sunt, maturi, sapientes,

casti; hinc tales generant, æque ac educant filios. Exemplum in illustri familia Anicia (quæ deinde Frangipani est dicta) quæ ab anu Originem, & nomen, accepit. Anicius enim ejus parens, & conditor, ità dictus est, quod à matre anu, id est, vetulâ, genitus esset. Hæc enim familia in lucem edidit S. Paulinum Nolæ Episcopum, S. Benedictum, S. Scholasticum, S. Placidum, Severinum Bœtium, S. Sylviam, S. Gregorium M. S. Thomam Aquinatem; aliosque plurimos castitate, sapientiâ, omniq; virtute conspicuos. Cornelius hic.

*Mittebat ad eos.* Job. 1. 5. En sollicitudo erga liberos. Non curabat conviviorum sumptus; non dolebat, quod patrimonij partem non modicam in luxum absumerent. Rem mittebat œconomis, nec de ea re conquestus est unquam cum filijs; aut famulos increpuit. Uno anxius erat, an serenas oblectationes culparum nebulæ turbarent. *Nè forte peccaverint filij mei.* Absumant liberaliter; sed non peccent in benefactorem. S. Gregor. l. 1. mor. intuentum est, quanta pater severitate potuit filiorum opera corrigere; qui tantâ sollicitudine statuit corda mundare. Oliva t. 1. conc. 30. die Ven. 4. in Quadrages. Porò vir tantarum opum, nusquam de pecoribus sollicitus pacendis; quotidie in expiandis filiorum maculis fuisse fertur attentissimus. Quod viri optimi studium ij, vellem, observarent patres familias, quos anxietas tanta exagitat augendæ pecuniæ; & tanta in excolendis liberis desidia sopit, ut nec in annos singulos id erga filios bis præstent; quod in natos, natasque, Job diebus singulis exercebat: *consurgensq; diluculo offerebat holocausta pro singulis.* Id. l. 6. Strom. §. Vir erat in terra Hus &c.

*Cumque in orbem transissent dies convivij &c.* ib. S. Gregor. l. 1. mor. c. 4. ô inestimabilem paternæ institutionis laudem! & pater dives dicitur, & filij concordés afferuntur. *Et mittebat ad eos Job &c.* Cum dicitur, *mittebat, & sanctificabat illos;* apertè demonstratur, quid distinctionis erga eos præfens ageret, quibus absens sollicitudini non deesset, sed quia sancti Job tanta fuerat disciplina sanctæ institutionis; ut neque per facta in convivij, neque per verba, deliquerint; apertè demonstratur cum subditur: *dicebat enim, nè forte peccaverint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis.* Perfectos quippe esse in opere, & sermone, docuerat; pro quibus pater de sola cogitatione metuebat. Vide justi viri erga filios eximiam curam! *sanctificabat illos consurgens diluculo.* Non differat sanctificationem; sed mox manè advocabat ad sacrificia pro illis oblata: ut pudeat quosdam, qui, cum totum diem insumpserit in congerendis pecunijs, nihil cum filijs pium congerunt vel sub noctem. Pinna in Eccl. 7. Ethol. 65.

*Filii tibi sunt; serva corpus illarum.* Eccl. 7. 26. Scilicet curando; nè in publicum prodeant, nè spectaculis interfint; aut viris promiscuè pateat aditus. S. Hieron. ep. ad Demetriadem: nunquam solæ, nunquam sine matre, prodeant. Pullus à gallina segregatus facile

facile ab accipitre capitur; non sub ala matris. Id. ib. Ethol. 96.

*Mortuus est pater ejus, & quasi non est mortuus.* (Syrus: *& idem est, acsi non esset mortuus*) similem enim sibi reliquit post se. Eccl. 30. 4. Successio enim filiorum sanctorum, ait Rabanus, qui post Patres suos ex hac vita decedentes, bonum eorum studium in sancta Religione, & bona conversatione, imitantur; mortuos parentes quasi redivivos exhibent; eum eorum doctrinam, & disciplinam, in suis dictis, & factis omnibus servando, manifestè declarant. Hinc filius masculus Hebraicè vocatur *Zachar* à *Zacher*, id est, *memoria*: quod in filio patris post mortem perstet nomen, & memoria. Vice versà feminae vocantur *nascæ*, id est, *oblitus* est. Quod in ijs, præsertim si molliter, & effeminatè, vivunt, patris nomen pereat, & memoria oblivioni tradatur. Cornelius hic.

*Filij & edificatio civitatis, confirmabit nomen.* Eccl. 40. 19. Antoninus Pius Imp. biduo ante mortem admittis amicis de filio suo dixit, quod Philippus de Alexandro: se æquò animò mori, cum filium relinqueret quasi alterum se. Cornelius hic.

#### Ex Novo, Patribus, & alijs.

*Et erit gaudium tibi.* Luc. 1. 14. 15. *Erit magnus*, hinc gaudium parenti, & plebi; quod futurus sit coram Domino magnus. Nulla ergo à filijs expectanda læticia est; nisi quæ de eorum oritur innocentia Oliva l. 13. Strom. hic.

*Pueri mei mecum sunt in cubili.* Luc. 11. 7. Laudo, quod commune esse voluerit sibi cubile cum pueris: profectò non tot laqueis adolescentium animi implicarentur, si domò pedem offerre non liceret, oclusis valvis, & parente præ foribus exubante. Oliva l. 13. Strom. hic.

*Quomodo nunc videat, nos nescimus.* Joan. 9. 21. Hæcne cura filij est? hæc paterna de eo cura. Multis, non Christus, ut felici huic cæco; sed diabolus, oculos aperit; & tamen parentes id non sciunt, nec curant. Sunt filij nimis oculati, & ad omnem nequitiam perspicaces. Grave debitum parentibus incumbit, ut filij primævam, in qua nati sunt, cæcitatem, id est, innocentiam, & simplicitatem, retineant; & eorum oculi non ab alio, quam à Christo, aperiantur. Præstat nullam, quam pravam, & reprobam prolem, habere. Segneri l. 25. die Mercurij D. 4.

Quidquid filijs parentes impenderint, rependat parentibus parens omnium Deus. S. Chrysol. l. 33.

Vos de Matrimonio estis hortulani, qui plantatis arbores in horto Christianitatis. S. Vincent. Ferr. l. 1. D. 3. Adv.

Omnia consilia tua in Deo permaneant. Tunc autem omnia consilia nostra in Deo permanent: cum nihil fecerimus, præter Domini voluntatem. Si quis autem pater suos filios in talibus non erudit, si novit; aut erudiri per alios non desiderat, si non novit: sciat se si-

lium non diligere, sed odisse: cui mitius, & melius foret, habere asinos, quam filios; equos, quam natos: non enim pro animalibus, sed pro filijs indisciplinatis, tenetur pater reddere rationem. Sim. Cas. de Just. Chr. l. 15. c. 2.

#### §. VIII.

#### Parentum educatio mala.

##### Num. 1.

#### Major cura corporis, quam anima.

*Filia mea malè à demonio vexatur.*

Matth. 15. 22. Fuit magna semper pro filijs sollicitudo; sed pauci dolent de filiorum peccatis. Quis pater filium carceri, vinculis, torturæ, traditum non lacrymis, & gemitibus profectus est? at filium Sathanæ laqueis irretitum quis pater lacrymatur? Bæza t. 2. l. 6. c. 7. hic.

Sinavis periclitetur, quantus labor! si animus demergatur in profundum scelerum, quis laborat? Nè filius exulet, quæ vora? qui discursus? exulat à Dei mensa jam per annum, quis dolet? si moriatur, ejulamus; si peccat, ridemus non raro; ploramus nunquam. Oliva l. 4. Strom. §. Perverſi difficile corriguntur, &c.

*Misericordia motus super eam dixit: noli flere.* Luc. 7. 19. Matris uberibus suam olim vitam adolescens acceptam referebat; jam eam matris oculis debet. Nutritus est lacte parentis ad feretrum; lugentis revocatur lacrymis à sepulchro. *Noli flere; tibi dico, surge.* At ego in fletus erumpo; quod tantis filij unius à matre lacrymis inundetur; cum nulli à parentibus morti filiorum veriori luctus impendantur. Quid non agit mater filio febriente? quid verò agit peccante filio? nunquam deseritur, licet jam animam agat; adest de mortuo, elatum comitatur. Ut verò filij pudor expalluerit, desperatâ velut pudicitia in suo sterquilinio finitur contabescere. Faciliorem si ego curationem animi, quam corporis, esse ostendero; graviorem tamen, quam corporis, pestem animi; cogetur mater defunctum non lugere filium, & peccantem nunquam elugere. Oliva l. 5. D. 4. Quadragel.

##### Num. 2.

#### Parentum absentia nocet.

In Absolonis convivio. 2. Reg. 13. 27. nullus principum defuit: sed quia unus defuit pater, pavimentem sanguine maduit. Cum Joseph spoliatus, vinctus, & venditus est, Gen. 37. 23. &c. adfuere fratres; sed absuit Jacob: indoluit Judas innocentis injuriam; sed parricidas coercere non potuit. Undò absente Moysè. Ex 32. 6. & quidem, ut cum Deo ageret, populus labitur. Oliva l. 10. Strom. §. Nisi Dominus custodierit civit.

*Peregrè profectus est in regionem longinquam.* Luc. 15. 13. Noxia, & periculosa, filijs

lijs patris absentia. Prodigus instructus opibus à patre discesserat in regionem longinquam. Brevi didicit, eam esse adolescentibus pessimi coeli, & soli regionem; quæ procul à patre eos removeret. Mox uniones in glandes deformati, byssus in lacernam, in fues equi: luxuriari primum; tum egere cœpit. Absque patre in portu naufragaris, in Jerusalem reperis Babylonem, Jordanis, tibi plenus crocodilis Nilus est. Sed à parente, inquis, Joseph beator. Beator, si spoliatur à fratribus, si ab Agarenis abducitur, si venditur Ægyptio, si proritur à domina, si carceri mancipatur? sed regnavit. Principatum quis intrat tantis ludibrijs, periculis, & probris? Nolim in curulem uncò trahi, nec equuleò in thronum: executio diadema, quod è vinculis necò: nolo Ægyptijs imperare, si primum Ægyptiæ serviendum. *Invidebant ei fratres sui.* Gen. 37. 11. Matres coram patre, & quietus fuit livor; caret ungue, & voce. Producit somnia Joseph, nec furor fratrum prodit præsentem patre. Imò nec conceptam animò eadem perfecisset Cain. Gen. 4. 8. nisi in distitum à patre agrum, sui hostiam furoris, seduxisset. *Dixitque Cain ad Abel: egrediamur foras.* Oliva D. 3. Quadrag.

Num. 3.

## De parentum mala educatione varia.

*Durè accepit hoc Abraham.* Gen. 21. 11. In familia tam seduli Abraham non deest Ismael indisciplinatus. At pejus; si in ijs studiosa Sara desit, quæ dicat: ejice. Adhibendum fuit spectaculum Angeli, & Dei præceptum; ut ejus domo exularet impius. Qui Abraham non imitatur, timeat poenam Heli; de quo Hieron. lib. 1. contra Pelag. corripuit, & punitus est; quia non corripere debuit, sed abjicere. Si summus Dei sacerdos sic punitus; qui domi suæ filios pravos corripuit quidem, sed non ejecit: quomodo effugient, qui in ædibus suis alunt, non dico affines, non sapientes, sed mercenarios; quibus in summa vitorum licentia non audeant dicere, corrigite vos. Oliva t. 1. conc. 3. in festo S. Thomæ Apost.

*Appropinquerunt dies Mathathia moriendi, & dixit filijs suis &c.* 1. Mach. 2. 49. His verborum irriguis ager Israel rigatus, hastas undique, militesque, produxit, quos amor Legis concitaret in sacrilegos. Nos quoque si in eadem verba filios alloqueremur; non ganeones Republicæ daremus, sed propugnatores. Verùm cum nihil non imbelles ex nobis plerumque audiant liberi; nihil quoque agunt non vulgare, probrique non rarè plenum. Habet mammas suas mater in pecto-

re; sed habet parens uterque duo in labijs ubera, quibus filij ab illecebra ablectentur, summaque agere doceantur. Oliva f. 6. D. 3. Quadr.

*Homo quidam habuit duos filios.* Luc. 15. 11. Lugendum sanè est; accuratius ovem, quam filium, quæri: ad illam enim errantem pastor, relictis 99. in deserto, ivit; huic perenti vix pater occurrit: à quo, nisi ipse rediisset, nunquam fortè quæreretur. Adeò studiosius greges curamus, quam natos; drachmisque perditas animas posthabemus. Oliva l. 13. Strom. in Luc. hic.

§. IX.

## Parentes puniuntur in filijs.

*Maledictus Chanaan.* Gen. 9. 25. Filius is fuit Cham, qui pudenda patris sui ostendit fratribus. Si Chanaan innocens, cur in illum maledictio fulminatur? Oleaster: admonet locus iste, quantà diligentia parentes à peccatis cavere debeant; ne in eorum filijs, aut posteris, peccata sua puniantur. Certissimum est; originem nigredinis Æthyopum, non à regione propria, ut hæctenus existimatum est, ob solis ardores; sed à stirpe, & sanguine Cham provenire. Paoletti D. 4. Ephiph.

*Masculus, cujus præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa.* Gen. 17. 14. Quòd puer non circumcideretur, non illius culpâ, sed parentum, fiebat. Cur ergo lex non potius vindicat in parentes, quam in pueros in circumcisos? S. Ihd. Peluf. l. 2. ep. 81. dicendum erat, qui non circumcideret, exterminandum iri; non autem infantes immaturæ ætatis. Ego verò ne literalem quidem sensum improbo: siquidem parentibus acerbius est supplicium, cum pueri exitio dantur. Bæzat. l. 1. l. 1. c. 12. §. 1.

## Miscellanea.

*Melius est, ut filij tui te rogent &c.* Eccl. 33. 22. Nota est historia patris: qui, cum omnia sua in filios distribuisset; ab omnibus desertus, & inops factus, hac arte à filijs alimoniam extorsit: cistam implevit lapidibus; finxitque, se in ea reposuisse thesaurum ingentem. Quare, ut ejus hæres fieret, quisque filius parentem beneficijs, & donis, devincere satagebat. Ità lautè vixit parens, & fraudem fraude delusit. Eò enim mortuò filij studiosè scrutantes cistam, in ea nihil nisi lapides repererunt. Cornelius hic.

Tibi sexcentis servis imperare, minus jucundum futurum est, quam unius filij parentem esse. S. Gregor. Naz.

or. 13.